

Medearum. Detestabile enim scelus est, inquit *Cicero in Lelio*, muliercularum suos natos ultrò necantium. Ea enim charitas, quæ inter natos & parentes est, non nisi detestabili scelere dirimi potest, *Gobler. hic in auctario*. Hujusmodi autem Medæ solent excusare se, aut abortum (qui contra omnem rationem naturalem est, *Aristot. 7. polit. 16. Vide Timpl. 1. polit. 7. q. 5. Gregor. Tholos. 14. c. 3. sect. 8. 9. Eleganter & doctissimè more solito Zieritz. hic, c. 133. verb. in proprium corpus delinquens*. De maleficio abortus vide *Franc. Torreblan. de demonologiâ, lib. 2. c. 43. per tot.*) fuisse, aut fœtum quidem prodiisse in auras, mortuum tamen, aut eodem momento spiritum exhalasse, *Zieritz. hic, verb. pœna infanticidii, & verb. abortum*. Audiendæ sunt suis probationibus quidem, neque enim quælibet simplex earum assertio fidem meretur, & si fœminæ suam intentionem sat probare non possunt, præsertim si remotis aliis mulierculis partum perfectum se edidisse, suspectæ sunt, torturæ subjiciendæ, & ad confessionem veritatis cogendæ, *Anton. Fab. lib. 9. C. sis. 11. defin. 1 per tot.* Si fatentur, se infantem occidisse, pœna ordinaria infanticidii plecti debent, *Christ. Besold. 1. polit. 10. §. 4. con. l. 33. Vide Ant. Tess. decis. 13. num. 1. cum seqq. Valent. Forst. de jurisd. Rom. c. 6. p. 152. nu. 25. Thom. Metzg. consil. crim. 5. per tot. Confer quoque Sigism. Wittum. cons. crimin. 5. per tot.* Quis autem partus humanus perfectus, & naturæ congruens videatur, & revera sit? Copiosissimè & remissivè tracto *in meis horis subcisivis editionis secundæ, disc. Acad. 3. conclus. 13.* Fœtus in matris utero, an sit animal? Vide *Eman. Meril. obs. 16.* Et consultum est hac in parte secundùm monitum, *Zieritz. hic, cap. 133. verb. partum vitalem, in fin.* consulere Anatomicos & obstetrices, de quibus quoque consulendus *Jacobus Cujac. lib. 17. observ. 28.*

4. Qua pœna verò afficienda mulier, quæ ventris doloribus impulsalattinam accesserat, & partum in cloacam effuderat, asserens, nescivisse se fuisse prægnantem? Respondeo per tradita ab *Osfcho decis. Pedem. decis. 60.* qui talem mulierem, attenta tamen qualitate delicti, & mulieris, publicè esse fustigandam, & in perpetuum exilium dandam, & *Hippol. de Mars. in suâ practicâ, §. postquam, num. 23. & nu. 24.* dicit, eam mulierem habere contra se vehementes præsumptiones juris & facti. Iisdem Jctis adstipulantur, *Matth. Steph. hic, p. 235. in fin. ferè, Hart. Pist. observ. singul. 125. Matth. Berlich. part. 4. concl. pract. 7. num. 24. 25. Menoch. lib. 2. de A. l. Q. cas. 357. Farin. in suâ prax. crim. par. 3. tit. de pœn. temper. q. 92. num. 136. vers. ubi de muliere, & pœn. 4. sis. de pœn. abort. fac. 14. q. 122. n. 150.*

## ARTICULUS CXXXII.

*Pœna matrum liberos exponentium.*

Mulier abjiciens liberos in solitarium locum, quos alere debebat, vel iis alimoniam denegans, videtur eos necare, ac si partum suffocasset, *Gobler. & Zieritz. hic.* Ideoq; tritum illud *Ambrosii Psalm. 118.* Hoc est hominem occidere, vitæ suæ ei subsidia denegare. Item: Si non pavisti, occidisti, *Dn. Cunrad. Dieter. in Analys.*